

Salve quisquis es
civis hospes,
adsta, lege & luge:
lege fragilis,
fragilem...

1 Ic Fol.



National Library
of Sweden

Salve
quisquis es civis hospes,

Adsta,

lege & luge:

Lege fragilis, fragilemque Te esse luge.

Mortalitatis fac memor sis mortalis.

Finis mortalium Proh! non nisi funus.

Accendimur, urimur, extinguimur,

Orimur, patimur, morimur.

Alius alio, omnes huc imus.

Quæris quorsum illa?

En! Eheu! Ecce!

Lethum, Eheu! non lætum.

Thalamus fœcundus, sed fatalis.

Lectus genealis auspiciousissimus:

Luctus feralis isque acerbissimus.

Etenim

Partus laboribus feliciter defuncta,

Mortis doloribus fracta, defuncta

MATRONA,

Virtuosis Exemplo, Vitiosis in Exemplum, Omnibus Exemplar,

Lex bonis, Lux malis.

Scilicet

Splendore Natalium, decore Vitæ, Morum fulgore, Ætatis flore

Florentissima pariter ac splendidissima,

Familiæ tuæ Decus atque Sexus

ANNA BRU- NELLE;

Viri

Amplissimi Celeberrimique Domini

M. TORSTANI RUDEEN.

In Regia, quæ ad Auram est, Academia,
Poëleos Professoris Regii & Ord: Merentissimi,
Vitæ utriusque & Tori

CONSORS,

Lectissima olim, Eheu! nunc Desideratissima.



Quam, si aliam unquam,
Virtutum omnium, ut fuit, Chorum, imo Centrum dixeris & Concentum.
Piam quæris? Hæc, si ulla, fuit;
Castam? nulli cesfit;

Probam? optimas æquavit.
Ingenio Divina, Candore nitens, Prudentia fulgens;
Nullis odiola, Cunctis gratiosa.
Saram crederes, aut Rahelem,

Imo lane utramque:
Huic etenim formæ decore, Illi veneratione Mariti,
si non antecessisse, at ne cessisse quidem facile concesseris.

Præterea
Emicuit in omni mundi hujus immundi inconstantia constans eminuit.
Mundana omnia reputavit somnia vana.

Quam vulgo vitam vocitant,
Mortem, ut est, esse novit;

Quam mortem, vitam.

Vitam,

Non quæ

Dolor est & labor, despectus & defectus, malorum cumulus & tumulus;

Sed quæ

In cœlis est, cœlestium est, cœlestis est.

Imo quæ

Ex DEO est, quæ DEI est, quæ DEUS est.

Et hinc est quod

Super omnia fuit semper

Æternitatis quam seculi, cœli quam soli amantior:

Quod rarum, imo carum:

Huic tamen solenne.

Nam

In corruptissimorum morum hoc seculo, ultimo jam quam maxime confini fini,

Fili sui finis unice, & ferme unica memor,

Mortem, ejus felicitatis matrem,

Ad quam, nisi per interitum, non datur introitus,

In præsentis semper & recentis memoria tenuit ac retinuit.

Lethi, quod cavet justus, non pavet, ubique memor læta.

Ut moriens viveret, vixit ut moreretur.

Vixit, ut, cum vivere desineret, inciperet.

Verbo:

Seculo huic cœco virtutis erat speculo:

Facula sine macula.

Quare

Ut

In mortali splenduit quodvis immortale;

Sic

Immortalis, nunc fieri nescit mortalis:

Nisi velit, quod nolet, redire, unde non valet.

At!

Humana Proh! quam vana!

Inconstantia quanta constantia!

Quam dura sortis nostræ ac mortis sunt jura!

Quip-

Quippe

Pesimo hoc in seculo, Matrōna hæc optima,
Cum, quod Maritam decet Parat, Marito Paret, Prolem Parit, Ipsa Perit.

Nimirum

Præcedit Partus, accedit Proles, intercedit morbus, succedit mors, decedit Parens.

Oritur Genitus, moritur Genitrix;

Enascitur Filius, denascitur Mater;

Adeoque

Cum Mater primum dicitur, Mater esse desit.

Quæ

Quo dignius vivens apud omnes tulit præconium;

Hoc intolerantius moriens sui reliquit desiderium.

O ergo dirum! O molestum!

O durum! O funestum!

Marito, Filio, Parentibus, Fratribus, Sororibus, Bonisque omnibus,

In tanta Coniuge, Matre, Filia, Sorore, Matrōna,

Casum!

O vanæ spes! O res humanæ!

Quid estis? quo properatis?

Quam levi casu frangendæ!

Quam mœstus nunc questus,

Quam acer, asper & ater dolor hic aggravat omnes!

Cum tamen contra

Solæ, & quidem solum,

Tristes lætantur Parcæ, Tantæ non pepercisse Matrōnæ.

Gaudent, inquam, hæc solæ, & plaudunt:

Plangunt contra cuncti, quos tangunt hi Manes & angunt.

Quorum omnium maxime

Luctu squallet, & tantum non tabescit, scio & doleo, Viduus mœstissimus.

Tangitur item dolore non minus alto & angitur

Tota Amplissima, vah! ut confundor, Adflētissima Familia.

Et id sane nec mirum nec immerito:

Tantum namque funus tantum meretur fœnus.

Fœnoris hic Eheu! triste specimen ac funeris!

Plausus Mariti Eheu! nunc sunt Planctus.

Habuit, quam non est habuisse latis:

Amisit, quam est Eheu! amisisse grave!

Ergo

Ego, & mecum sinceri omnes,

Suam vicem, illam quidem, ut debemus, dolemus maxime;

Magistamen Coniugii sui ac Tori, quod unicum habet, Pignoris carissimis

Cujus orbitas hoc est lamentabilior,

Quod, per ætatem, quæ vix tenella esse cœpit,

Tantum malum, malum esse, ne sentiat quidem.

Dolemus Eheu! dolemus,

Dolemus dolorem, sed quem ratione coërcere debemus;

plangimus, sed intra modum, quin plaudemus;

Utrumque etenim

Et plausum expetit hæc nostra, & planctum:

Cecidisse, plangimus, quam oportuit nunquam cecidisse:

Morti nihil, plaudemus, cessasse, nisi quod mortale.

Diem

Diem clausit sicut vixit,
Vixit autem, dum vixit, optime.
At non diu? tamen satis,
Non quam diu vixit refert, sed quam bene:
Ad illud enim fato opus est, ad hoc animo pacato,
Diutissime ergo vixit, quia modestissime;
Vixit, non quæ vivere, sed quæ valere est vitam;
Vitam, non quam longam dicunt, sed quam multam, quam integerrimam.

Imo,
Sic vixit, ut eam vixisse non pœniteat:
Sic vixit, sic obiit, verius sic abiit, ut incertum reliquerit,
Vixerit ne felicior, an abierit sanctior.

Quamquam quid vixisse dixero,
Quæ vivere dum desit, incipit;
Quæ dum decrescit, maxime crescit;
Quæ tempori dum moritur, oritur æternitati.

Igitur
Non vixit solum B. hæc nostra Rahel, sed vivit, imo vivet:
Vivit apud nos, donec omne vitale quod est, vivit,
Vivit Nomen, cluit Laus, Gloria floret, Fama viget.
Vivit item apud DEUM, cum DEO, in DEO, ex DEO, & propter DEUM, ad quem ivit;
Ivit, inquam, ad æterna, ab æterno, in æternum, cum æternis, & æterna vivit.

Et sane
Vivat! Eja! vivat!
Vivat nos inter & beatos beatissima! ut vivat
Vivat in Solo, cum æternæ laudis prole!
Vivat in Polo, cum Christo salutis, suæ Sole!
Vivat in Cœlo, æternitatis gremio & præmio!

Interea
O DEUS, cui Tui semper curæ sunt ac cordi,
Curam Mœstorum ne ponas, sed pellas!
Curæ sint Tibi, O DEUS, duræ Illorum curæ, qui supra nos curas;

Atque
Tristitiam Lumini ac Columnæ Familiæ Rudeenianæ incolumi repende lætitia!

Tu autem
Quisquis es sospes mundi civis hospes,
Monumento hocce monitus, Te mortalem esse memento;
Fragilitatem rerum considera; stabilitatem cœlestem desidera!

Utque
Nunquam moriaris,
Disce
Orbis meliora mori.
Vale!

Supremis,

Imo,

Vere primis, quin summis,
B. Matronæ honoribus,
Ultimam hoc Eheu! primum officium,
Lubens sed Lugens sacrum esse voluit,
Quod noluisset

JOHAN. HELINUS.